



FERDINANDUS ONUPHRIUS
DE KITKI
KICKI
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPUS METROPOLITANUS
LEOPOLIENSIS

Universo Clero, tam sæculari quam regulari Nobis in Christo Dilecto salutem in Domino.

Supremi Principis Decreta ac Ordinationes Excelsi Gubernii Vobis per extensum publicamus. Et quidem:

1mo  Literarum Excelsi Gubernii ddo 12. & recept. 25. el. tenor est sequens — Intimata equidem erat Illustrissimo Archiepiscopo Suprema Resolutio ddo 11. Xbris an. el. vigore cujus præcommissum erat, quatenus majoris conservationis sanitatis ergo, mortui extra Oppida sepelirentur. Plurima etiam Circularia Officia intuitu harum Ordinationum necessaria cointelligenter cum Dominiis, Curatis, uti etiam cum ipsis Parochianis disposuerunt, quod Officiis illis Circularibus approbatum est, attamen de exacta effectuatione hujus supremæ Dispositionis certiorem effectum obtinendo, placuit Illustrissimo Archiepiscopo hisce præcommittere, quatenus hanc supra fatam supremam Ordinationem effectui demandare studere velit, ac omnibus suis parochis seriò præcipere, ut vitando pœnalitates, secus oneri ipsis profectò forent, in omnibus illis Oppidis, ubi tantum cointelligenter cum Officio Circulari locus sepulturæ extra Oppida designatus est, aut designandus erit, illico abhinc neminem absque ulla exceptione status & conditionis in Oppidis sepelire audeant.

2do Literarum Excelsi Gubernii ddo 15. & recept. 30. el. tenor est ejusmodi. — Siquidem his in Regnis huc & illuc mos sit, quod etiam plebæi post meridiem & vesperi copulentur, quo tempore tam Sponsi, quàm invitati fortiter inebriati esse solent. Eapropter velit Illustrissimus Archiepiscopus suis subjectis Curatis seriò præcommittere, quatenus inebriatos comparentes copulandos nullatenus ad ineunda vota Matrimonialia admittant, sed eos in alterum diem remittant, ne per inconvenientes actiones huic spirituali Operi, quod Sacramentum est, irreverentia exhibeatur.

3tio

3tio Ex literis Excelsi Gubernii ddo 12. & recept. 25. el. excerptum intuitu Concursuum instituendorum ponitur hic de tenore sequenti. — Sua Sacratissima Majestas mediante Supremo Aulico Decreto ddo 19. el. præsent. 6. cur. intuitu faciendorum Concursuum examinum quò ad vacantia Curata Beneficia sequentia statuit.

1mò Quatenus certa notitia obtineatur, qnod imminendi concursus, Sæcularibus & Religiosis Presbyteris convenienter publicati sint, debet illico postquam Consistorium vacantiam Curati Beneficii publicaverit, ab Eo etiam dies faciendi Concursus designari, & de eo mediantibus Currendis, quæ postea unà cum relatione diei, quo Curatum Beneficium in vacantiam devenit, in Originali, Actis Concursuum adnectendæ erunt, omnibus Sæcularibus & Religiosis Presbyteris publicare.

2dò Omnibus publicandum est, quatenus Candidati curantes collationis Regiæ Beneficia, in comparitione ad concursum, statim ad supremum Locum dirigendum supplicem libellum secum apportent, in quo suam Patriam, suam Diœcesim, suam ætatem, suam notitiam linguarum, tum locum ac progressum cum attestatis ubi, & qualinam profectu sua studia absolverint, adnotabunt, uti etiam sua merita, & quidnam præterea pro complemento sui desiderii utile fore arbitrentur expriment. Secus effectuatio non in termino porrecti supplicis libelli, post absolutum Concursum non obtinebitur. Illi supplices libelli, qui adhuc præterea Officiis Circularibus & Gubernio porrigerentur, evitando multiplicationem negotiorum Gubernio, expediendi erunt respectivis Candidatis, si nulla præcipua causa retinendi illos erit, neque remittendi videbuntur supremæ Aulæ, unicè hac cum insinuatione, quatenus suos supplices libellos Consistorio porrigant.

3tiò Abhinc alternativa & preces intuitu non determinatorum Curatorum Beneficiorum, à Consistoriis amplius non sunt recipiendæ, sed à competentibus qualibet vice, tantum unum Beneficium & quidem expressa denominatione illius requirendum est.

4tò Literarum Excelsi Gubernii ddo 5. & recept. 9. cur. tenor sequens. — Cùm à tempore publicatarum Matrimonii Patentalium plurimi in proxima adeò Consanguinitate præcipuè in Pagis pro obtinenda dispensatione Matrimoniali supplicaverint, ad quod occasionem illis præbuit error, quod ejusmodi dispensatio citra novas Matrimonii Patentales, conferri tamen illis posset, per quem errorem sæpe etiam ad prohibitum consortium adducti fuerant; Hinc Sua Sacratissima Majestas mediante Supremo Aulico Decreto ddo 19. recept. 30. el clementissimè ordinavit, quatenus omnibus Curatis & Parochis præcommittatur, ut Parochianis suis in ejusmodi obvenientibus casibus Matrimonji Patentales debitè ac clarè explicent, eosque de illius normalibus in suis Concionibus bene instruant, ac informent, ne post admonitiones frustrà repetitas præscriptas pœnas luere cogantur. Quæ Suprema Resolutio Illustrissimo Archiepiscopo pro exacta effectuatione hisce notificatur.

5to Literarum Excelsi Gubernii ddo 21 Junii & recept. 3. el. tenor est sequens. Mediante Supremo Aulico Decreto ddo 1. & præsent. 15. curr. resolutum hùc est; Intuitu quæstionis quonam modo cum Colonistis his in Regnis Protestantibus quò ad decisionem Jurium stolæ, & conscribendos Matricularum libros sese regulandum sit, tenenda est dispositio ddo 20. Junii a. p. quæ intuitu Zamoscensium Protestantum facta est, ubi regula & norma præscribitur, tum immediatè submissæ Patentales, quomodonam Copulatorum, Baptisatorum, & Mortuorum libri tenendi, quæ sub ddo 17. Febr. an curr. emanârunt, quatenus etiam intuitu Augspurgensis & Helveticæ Confessionis asseclarum subditorum, ejusmodi libri Conscriptionis à Catholicis Curatis teneantur. Secundùm has binas Ordinationes etiam sese regulandum venit, intuitu novorum Colonistarum, ita tamen, ut si illi ad Baptismum, Copulationem & sepulturam nullo Catholico Curato indigeant, Catholico Curato nulla Jura stolæ, attamen

præ-

præſcriptum Zamoſcenſibus Proteſtantibus medium florenum Polonicum, ideò Catholico Curato perſolvere tenentur, ſiquidem ſi illi homines Catholici forent, eidem ſubjecti eſſent. Quodſi liberè ad actiones ſuperiùs expreſſas Catholicum Curatum requirerent, tum Catholico Curato præſcripta Jura ſtolæ juſto modo perſolvere tenentur, unde nullum onus novum illis imponeretur à quo abſolvi poſſent. Quæ Suprema Reſolutio Illuſtriſſimo Archiepiſcopo pro notitia ſubmittitur.

Singula hæc, quæ præſentibus litteris noſtris comprehenduntur, pro meliori Veſtri notitia, ac exactiſſima obſervantia Vobis publicamus, atque ex occaſione emanatæ Supremæ Diſpoſitionis hic *Nrô 1mô* poſitæ, omnibus Curatis facultatem benedicendi Cæmeteria noviter deſignata vel deſignanda præſentibus pro hac ſola vice, benignè in Domino Authoritate Noſtra Ordinaria concedimus. Requirentes, quatenus iidem Curati formam Ritualis Romani in ejusmodi benedictione Cæmeterii ſervent. Tandem inhibemus ſeriò; ne inebriatos Sponſos ad copulandum comparentes, copulare audeant, ſed eosdem ad alium diem remittant. Porro concurrere ad vacantia Beneficia volentes expreſſam hic ſub *Nrô 3tiô* Normam diligenter obſervare ſtudeant. Demum in Concionibus veſtris clarè & dilucidè emanatas intuitu Matrimoniorum Patentales Populo explanetis, eundemque de Normalibus earundem Patentalium optimè inſtruatis. In quorum fidem Datum in Palatio Noſtro Archiepiſcopali Obroſzynenſi Die Nona Auguſti 1734*tô Annô.*

FERDINANDUS ARCHIEPISCOPUS.



Stanislaus Stocki, Eccleſiarum Metr. Cancus Supern. Coltæ Leop. Primicerius, ſuæ Excellentiæ Archiepiſcopalis Secretarius *m. p.*



